

17
1. J
J
2.
3. J
2
y
=
5
=
6.
7.
H



1718.

1. Beckius, C. Schabius: Programm: De recta
juris per principia docendi ratione, lectionibus
curpiciatibus . . . praemissum.
2. Beckius, Caspar Schabius: De justo commoto cum
alterius damno conjuncto . . .
3. Beckius, Caspar Schabius: De sponsalibus minorum
sine consensu curatorum non contrahendis.
- 4^a et Boerisius, Francus Casparus: De eo, quod justum
est circa sepulturam proprietarum. 2 Sampl. 1718
& 1760.
- 5^a et Brednerus, Justus Hieronymus: De levamine
oneris spectu laicum. 2 Sampl. 1718 & 1754.
6. Brednerus, Francus Franciscus: De pontificibus Romanis,
qui reformationem ecclesiae frustra tentaverunt.
7. Brednerus, Nicolaus Justus Franciscus: De actionibus ad jec-
tibilium quatuordecim eorumque usum hodiernis

- 1718.
8. Friesen, Dr. Bernhard: De jure Saxoniae provinciales
 computatione vulgo vocata Sachsen-Spiegel. 16
9. Friesen, Joannes Bernhardtus: De sententia declaratoria 17.
10. Lehmannus, Dr. Faculus: De vero atque certo fundam^{to}
 mento jurium ac specificatione sanitatis legatorum. 18
11. Pagemannus, Nicolaus: De conditionis sine causa fundamen^{to}
 to et usu. 19
- 12^{9. 17} Pagemannus, Nicolaus: De praesentia principis in actibus
 privatorum 2 Sumpt. 1718? 1740. 19
- 13^{9. 17} Pagemannus, Nicolaus: De processu liquidationis in
 antichresi 2 Sumpt. 1718? 1720. 20
14. Rosa, Henr. Gottlieb: De indulgentia et rigore
 juris naturalis. 21
15. Schroeterus, Dr. Christl.: De eo, quod circa diffidendum
 justum est. 22

1718.

16. Schroeterus, Fr. Christianus: De vero ac genuino
justo atque justitiae conceptu.
17. Schroeterus, Fr. Christianus, Fac. jur. Decanus: Programm,
lecturae auspiciis Henrici Gottlob. Schulzei: --
praemissum.
18. Neugebier, Fr. Phil: Programm, lecturae auspiciis
Carolus Henricus Hermannus . . . praemissum.
19. Wedelius, Georgius Wulffgangus: De jure in persona tertii
quaesito
20. Wedelius, Georgius Wulffgangus: Poetae.
21. Wedelius, Georgius Wulffgangus, Fac. med. Decanus:
Propempticon innum: De Elia artista. (Disputationi
solenni Henrici Suspirii Zopffii praemissum)
22. Wedelius, Locus hordellus, Fac. med. Decanus: Propempticon
innum: De antiquarum attractivarum emendatione (Disputa-
tioni Gottfridi Schlichteregii praemissum).

1718.

23. Wildelius, Franc. Adreplus: De febre hectica

24^{ae} Wildvogelii, Christianus: De supernicis observationibus
ad l. 45 §. de recept. arb. Programma (lectioni auspiciali
Johannis Selawonii Brunsvillii praemissum). 2 Saupl.

1718: 1753.

25. Wildvogelii, Christianus: De exceptionibus rei iudicatae
executionem impediuntibus.

26. Wildvogelii, Christ.: De eo, quod justum est circa
Lutheranos.

27. Wildvogelii, Christ.: Caus. juridic. . . . de accus.:
De jure lucro restituyendo. ad l. 1. C. de petit. hered. Pro-
gramma inaug. (lectioni auspiciali Johanni Pauli Hegidii
Nitschii praemissum).

28^{ae} Wildvogelii, Christianus: De positione «Eterna» 2 Saupl.

Sta. 20. num. 36.

1718, 19

AA

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

SENTENTIA DECLARATORIA

QVAM

DIVINA ADSPIRANTE CLEMENTIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DUCE SAX. JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGARIÆ,

ET WESTPHALIÆ ET RELIQUA

EX DECRETO ET AUCTORITATE

ILLUSTRIS IN FLORENTISSIMA SALANA ICTORUM ORDINIS

PRÆSIDE

JOANNE BERNHARDO *Friese,*

HEREDITARIO in Pöfen/

ICTO, SERENISS. DUC. SAXO-ISNAC. CONSILIARIO AULICO ET

CONSISTORIALI, ANTECESSORE, JUD. AUL. FACULTATIS

JURIDICÆ ET SCABINATVS ASSESSORE

MERITISSIMO

DOMINO PATRONO, ÆTATEM, UTI PAR EST, VENERANDO

PRO LICENTIA

SUMMISQUE IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET PRIVILE-

GIIS RITE ET MORE MAJORVM CAPESSENDIS

D. IV. IVNII ANNO M DCC XVIII.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

HENRICUS GOTTLIEB SPLITHUSIUS,

ADVOCATUS COTHENIENSIS.

J E N Æ

TYPIS WERTHERIANIS.



2483




DISSERTATIO IN HONORABILIS JURIDICAE
DE
**SENTENTIA
DECLARATORIA**

QUAM
DIVINA ADSPERANTE CLEMENTIA
REGORE MAGNIFICENTISSIMO
SERVATISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
DN. GUILIELMO HENRICO
DUCE SAX. PALAT. CLIVIE, MONTUM, ANAGRIAE,
ET WESTPHALIE ET RELIQVA
EX DECRETO ET AUCTORITATE
ILLUSTRISS. IN PLORENTISSIMA SALVANA PECTORUM ORDINIS
PRESIDE

JOANNE BERNHARDO *Graviss.*
HEREDITARIO IN DORNO
LETO, SENIORI DN. SAXONIAE CONSILIARIO AULICO ET
CONSISTORIALI ANTECESSORE, IUD. AUL. FACULTATIS
IURIDICAE ET SCABINATUS ASSessoris
MERITISSIMO

DOMINO PATRONO, QUANTUM IURE PAR EST, VENERANDO
PRO LICENTIA
SUMMUSQUE IN IURISQUE IURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
QUI RITE ET MORE MAIORVM CAPESSENDIS
D. N. 1741 ANNO M DCC XLVII
HON. PAT. ET PONTIFICIARIIS
PUBLICE ERUDITIONUM ORGANIZATIONI SUBMITTIT
HENRICUS GOTTLEB SPITTIUS
ADVOCATUS CIVITATENSIS

J R N A
TYPIS WERTHERIANIS





Th. I.



Sententia declaratoria materiam usu & in foro frequentissimam & vere quotidianam, pro Honoribus & Privilegiis in utroque jure, capessendis discussurus, ne hinc inde incerto ordine vagari videar, juxta quatuor causarum genera, more recepto eam proponere constitui. Est vero sententia juxta DD. communem opinionem nihil aliud, quam pronuntiatio judicis litem definiens, *L. 32. ff. de jud. & effect. sent.* Eaque duplex dari solet, definitiva & interlocutoria; nam & hanc sententiam appellari evinci videtur *L. 39. ff. de*

A 2

mi

minor. Illa controversiam principalem, cuius scilicet causa iudicium cœptum est, determinat. Hæc super articulo quodam incidenti, aut emergenti, fertur Dd. com. *ad tit. ff. de iud.* Sed & aliam privatoriam, aliam vero declaratoriam esse, æque constat. Quæ differunt, quod illa ex nunc operetur in futurum: Hæc vero in præteritum: Illa dejicit, hæc causâ cecidisse aliquem declarat. Bejer. ad Schnobel. *Exerc. jur. feud. X. th. 30.*

Th. II.

Sententiam vero debere ferri ab eo, qui super causa notionem habet. *l. 1. C. si non à compet. iud.* & quidem litigantibus, inter quos controversia est. Et quod alias in genere de sententia privatoria traditur, commode hic applicari poterit, quamdiu nulla diversitatis ratio apparet.

Th. III.

In genere itaque tunc declaratoria opus, ubi quis ipso iure cecidit, & quod habuit, amisit, quod, quomodo in quibusdam hoc obtineat, mate-

materiis considerandum venit. Et omni jure tam Civili quam Canonico & feudali, hoc evenire sequentia docebunt. Sane Emphyteutam jure suo cadere, si canonem in ecclesiastica emphyteusi intra biennium, *cap. ult. X. de loc. cond.* in seculari vero intra triennium *L. 2. Cod. de jur. Emphyt.* non solvat, certum est, sed qua ratione contra eum procedendum in eo Doctores discrepant. sunt qui existimant, quod hoc casu dominus emphyteutam sine pravia sententia declaratoria, propria autoritate possit expellere, seu possessione dejicere; Alii tamen hoc non simpliciter asserunt, sed distinguunt inter commissi causas *alienationis* & reliquas v. g. *deteriorationis* & *cessationis solvendi canonem*, ut in primo casu dominus expelle: e tertium, in quem res alienata fuerit, non possit; possit vero in reliquis. Alii alia utuntur distinctione nimirum inter commissum *notorium* & *dubium*; ut videlicet priori casu dominus expellere tertium, in quem res alienata fuerit non possit, possit vero in reliquis. Alii distinguunt inter occupationem *violentam* & *non violentam*; ut dominus priorem propria autoritate ejicere non possit; possit autem posteriorem,

A 3

etiam.

etiamsi emphyteuta verbis contradixerit: referen-
te Mullero in not. *ad Struv. Execit. XI. th. 73.* Ni-
hilominus tamen verior videtur Doctorum ne-
gantium & sententiam declaratoriam desideran-
tium opinio, de qua in seqq. pluribus,

Th. IV.

Simpliciter negativam opinionem inter alios
sequitur Hahn. *ad Wesenbec. tit. si ager vect.*
num. 3. ubi tradit, ut effectus legis, scilicet quod
emphyteuta privetur jure suo, sequatur, opus es-
se 1. ut *de facto constet*, emphyteutam scilicet ces-
sasse solvere canonem, unde citari & audiri debet
2. ut dominus *jus suum vere exerceat*, sive decla-
ret voluntatem suam sententia aliqua, quod non
amplius concedere velit emphyteusin propter ca-
nonem non solum privatoria *L. 2. Cod. de jur.*
Emphyteut. multo minus inquit cessantem pro-
pria autoritate expellere debet dominus, sed or-
dinarium admittere Processum, vel coram se, si
ipse jurisdictionem habeat, vel si privatus sit,
coram judice alias competente, emphyteusis
enim non tribuit jurisdictionem de quo paulo
post pluribus. Quæ sententia negativa nititur

ra-

rationibus juris, quod scil. sibi jus dicere nemo possit *L. unic. Cod. ne quis in sua causa jud.* quamvis enim emphyteuta ipso jure excidat, manet tamen in naturali possessione *L. naturaliter 12. ff. de acq. vel amittend. poss.* qua propria autoritate privandus non est arg. *L. 3. Cod. de pign. C. licet. in fin. X. de prebend.* Ad declarationem hujus opinionis utuntur hoc simili, scilicet mortuo marito, mulier, ad quam dos ipso jure revertitur, hæredibus mariti non consentientibus, dotalium rerum possessionem, sine autoritate judicis ingredi non potest. *L. in rebus. 30. Cod. de jur. dot. L. dotis. 9. Cod. solut. matrim.* altera ratio, quare propria autoritate, Dominus expellere emphyteutam non possit, assertur ab Hahn. supra cit, loc, nimirum quod possint plures esse causæ, cur canonem non solverit quas privatus ejusmodi inique forsân, & in suam utilitatem judicaturus est. Confirmatam quoque esse hanc sententiam rebus judicatis refert Müllerus cit. loc. Hanc sententiam negativam veram esse etiamsi expresse inter contrahentes convenerit ut propria Autoritate liceat expellere emphyteutam arg. *Leg. 3. Cod. de pign. L. 13. ff. quod, met. caus.* sufficienter probatur.

Theſ.

Thef. V.

Dictum quidem est, & ex Hah. relatum, dominum sententiam suam iudicio ordinario proponere debere. Sed summariæ tantum dominum in iudicio procedere & sententiam declaratoriam petere vult Berl. p. 2. concl. 46. n. 4. seqq. Sed quid de modo procedendi sentiendum ex actionibus domino competentibus apparebit.

Thef. VI.

Dubium non esse, quin Dominus directus adversus emphyteutam, ob canonem non solum rei vindicatione ad privationem agere, & emphyteusin recuperare valeat tradit Carpz. part. 2. Const. 38. Det. 16. nec ei nocere debet, quod utile dominium certa lege, transfulerit in eum, qui contractus legi non obtemperat, non enim potest contractu se tueri is, qui prior ipse facit adversus contractum. *L. quero. 54. §. inter locatorem. i. ff. locat. cond. L. julianus 13. §. offerri. 8. ff. de act. emt. & vend.* Verum enim vero ut ut negari nequeat, domino rei vindicationem ob non solum canonem competere hac tamen
ra-

ratione domini directi duntaxat qui non soluto canone intra certum tempus, plenum ipso jure consequitur dominium, domino vero dari rei vindicationem *L. 23. ff. de rei vind.* probatur. Deinde Dominus non agit, hoc casu ad privationem, sed ut *Berlich. supr. cit. loc.* notat, dominus qui emphyteutam diutius ob non solutum canonem haberi nolit, hoc declarat, ut super eo sententia, non quidem privationis, sed tantum declaratoria feratur, per quam emphyteutam debito modo canonem non solvisse, declaretur. Sed rei vindicationem non summarium, sed iudicium ordinarium esse, nemo negat.

Thef. VII.

Porro *Carpzovius cit. loc.* tradit, domino dari actionem hypothecariam, propter domini utilis translationem, ex qua ipse etiam emphyteuta utili actione in rem adversus Dominum experiri potest. *L. 1. §. ult. ff. sig. vect.* ideoque in casu contrario, dominus actione hypothecaria adversus emphyteutam agere valet, respectu scilicet utilis domini, ex quo emphy-

B

teu-

teus hypothecari & obligari potest, licet alias nemini res sua obligetur. *L. neque pignus. 4 §. ff. de R. J. L. pen. §. 1. ff. de except. rei jud.* Nec quicquam prohibet, inquit, & hypothecam & dominium, non quidem simul, sed alternative concurrere, ita ut uno electo, alterum tollatur. Unde ulterius infert, quia utraque actio realis est, non solum adversus emphyteutam, sed & contra novum possessorem, alienata scilicet emphyteusi absque consensu domini, obtinebit. *L. qui petitorio. 36. ff. de Rei vind. L. pignaris 17. ff. de pignor.*

Thef. VIII.

Verum enim vero, ex eo, quod emphyteutæ utilis in rem actio, ex translatione domini utilis competit, inferri posse, jus hypothecæ habere dominum emphyteuseos, non arbitror. Non ideo quidem, quod jus domini & hypothecæ non possit in eadem re alicui competere, nam mulieri in donatione propter nuptias non solum hypothecam, sed etiam dominium legibus concessum pluribus defendit Hahn. ad Wesenb. *de jur. dot. n. u. verf. at donatio propter nuptias*

nuptias, quis enim ignorat, legatarium legatum agnoscentem, statim ab adita hæreditate illius dominium nancisci *l. si tibi homo 86. §. 2. de leg. 1.* qua tamen non obstante eidem non minus hypotheca tributa §. 2. *Inst. de leg. 1. in fin. Cod. comm. de legat.* Sed ideo, quod nulla lege cautum, domino emphyteusios rem emphyteuticariam tacite esse hypothecæ uexu obligatam. Neque dissentientes ex *leg. 5. & 6. ff. qui pot. in pig.* id sustinere, & evincere possunt, quoniam non de jure pignoris, sed privilegio prælationis inter Chirographarios agunt: item de illo qui ad rem conservandam credit. Lex vero *7. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth.* qua itidem dissentientes nituntur, de fructibus in prædium locatum inductis, disponit. Nec magis pro ea sententia sunt *l. 1. ff. qui pot. in pign. l. 31. ff. de pign. & hypothec. l. 15. qui pot. in pign.* Quippe *l. 1.* est de eo, qui ad ædes emendas credit. *l. 31.* autem de eo casu, ubi fundus emphyteuticus pignori datus per conventionem expressam. Et *l. 15.* loquitur de domino soli superficiarii, qui inter mere privilegiatos referri solet. Ita Hahn. ad Wesenb. *ad tit. si ager. vect. in fin.*

B 2

Thes.

Thes. IX.

Sed non solum actionem realem compe-
tere domino, canone non soluto, sed quoque
actionem personalem adversus emphyteu-
tam, ex contractu scilicet emphyteutica-
rio, quo domino obligatur asserit *Carpz. cit.*
p. 2. Const. 38. Def. 17. qua actione tamen do-
minus solum adversus emphyteutam ejusque
hæredes experiri potest. *arg. l. ult. cod. de her. vel*
act. vend. l. 1. Cod. si cert. pet. sive possideant fun-
dum sive non, nequam vero adversus alium
per *l. 25. ff. de obl. & act.* Neq; dicendum hac actio-
ne opus non esse, quia interest domini directi,
ut quam plures ad suum prosequendum habeat
actiones *l. cum filius 76. §. variis 8. ff. de leg. &*
fideicom. 2. Sed hanc actionem potissimum
ideo dari vult *Carpz.* si non fundum vindicare,
sed canonem non solutum petere velit. Sed
posteriori casu sententia declaratoria non obti-
nebit.

Thes. X.

Actio ad privationem emphyteusios im-
quonam foro sit instituenda, ambigi solet. Si
nimirum res feudalis alio in loco, & sub alia jurif-
dictio-

dictione sita ; alio vero in loco emphyteuta
 domicilium habeat. Et videri potest a-
 ctionem illam in foro domicilii movendam :
 Cum appareat actionem ad privationem inten-
 ratam, ex delicto descendere, in iuriamque vindi-
 ctam persequi, ac propterea esse personalem. *L.*
ex maleficio 4. ff. de oblig. & act. quæ in loco do-
 micilii adeoque coram iudice Rei competente
 sit ventilanda. Verum enim vero, quia emphy-
 teuta canonem intra biennium vel triennium
 pro diversitate rei emphyteuticæ, non solvit, ipso
 iure privatur suo iure, è diverso dominus dire-
 ctus rei emphyteuticæ ipso iure quoque conse-
 quitur plenum rei dominium, & actionem insti-
 tuere potest, quæ non potest non esse realis §. r.
Inst. de act. quæ in loco rei sitæ intentanda l. ult.
Cod. ubi in rem act. etiam actio ad privationem
 emphyteutios in foro rei sitæ exerceri debet.
 Hanc si actionem personalem ex contractu em-
 phyteuticario emanantem instituere domino
 placeat, tum forum domicilii competens esse,
 non est ambigendum.

Sed quia supra *Thef. 4.* ex Hahnio relatum, quod processum admittere debeat dominus, vel coram se, si ipse iurisdictionem habeat, paucis examinandum, utrum emphyteuta coram domino iurisdictionem habente conveniri possit, & ad privationem agi. Quod inde dubium est, cum periculosum valde sit, nedum prohibitum, quenquam in causa propria sibi met ipsi ius dicere *l. un. cod. ne quis in sua causa jud. vel jus sib. dic.* Quibus tamen non obstantibus, consuetudine obrinet, quod regulariter Nobiles coram propriis Prætoribus & Scabinis subditos suos conveniant. Quod ipsum ideo periculosum non est, & suspicione caret. Præprimis quod acta recepto more, iudicio & diiudicationi alicuius Collegii submittat, quo ipso omnem a se removeat suspensionis causam. Gravatis quoque tam suspensiva quam devolutiva sunt concessa remedia. Quia quoque causa coram Notario Iudicii Prætoribus & Scabinis tractatur, vix dici poterit, quod Nobiles in causa propria sibi met ipsis ius dicant. *Carpz. lib. I. Resp. 87.*
Con-

Contrarium tamen, ne minima superfit suspicio-
nis ratio, obtinet in Anhaltinatu. Vid. Fürstl.
Anhalt. Proc. Ordn. Tit. I. pag. 114. ibi: Wo-
ferne anders dieselbe nicht die Ambleure/
Städte und Gerichtshaber selbst/ oder die Th-
rigen angehen.

Thef. XII.

Si causa inter dominum directum & emphy-
teutam agatur, & res emphyteutica cadat in
commisum, domino tum directo, tam quoad
proprietaem, quam usum fructum acquiri, ex-
peditum est. Sed si alicui rei emphyteuticæ u-
susfructus legitime constitutus, & durante ad-
huc usufructu, res emphyteutica ob non so-
lutum canonem in commisum cadat, an tum
commisum fructuario, an vero domino dire-
cto acquiratur, paucis expediendum est. Mol-
ler *semest. lib. 4. cap. 25.* asserit, quaestionem hanc
veterem esse & frequentem. Et quamvis vide-
atur quod in commisum cecidit prædium, per-
tinere ad fructuarium *l. usufructu legato 7. §. 1. ff.
de usufr. & quemad. quis utat. fruatur.* ubi qui ædi-
um usufructum habet, & causa damni infecti in
pos-

possessionem vicinarum ædium ex primo decreto missus sit, & adhuc perseveretur non caveri posse, ex secundo Decreto missus possideat ædes, acquirit eas sibi, non proprietario. Contrarium tamen verius existimat Mollerus, *quia inquit, per commissum fit consolidatio utilis domini cum directo, nihil enim aliud est, quam concessionis emphyteuticæ extinctio, & utilis domini reversio, & consolidatio cum directo. Usufructuarius autem non est dominus directus.* Ergo illi acquiri non potest. Adde quod res emphyteuticaria ob non solum canonem cadat in commissum ob favorem domini directi, non usufructuarii. Ad *Leg. 7. de usufruct.* respondet: domus illa per secundum Decretum usufructuario adiudicata, non erat pars domus usufructuariæ, nec de eius substantia, vel fructus eius, nec illi uniebatur vel consolidabatur, sed erat, & manebat, tam ante, quam post adiudicationem, res prorsus separata, quod tecus in emphyteusi.

Thef. XIII.

Quamvis juxta tradita Mevii ad jus Lubec.

p. 2.

p. 2. tit. 3. injustum vectigal veluti si imponatur ab eo, qui imponendi potestate caret, vel sine causa, vel ob causam quam imponens a sua parte non implet, vel si plane modum excedat, & iniquam extorsionem contineat, defraudare non sit iniquum; Ita dubium non est, eum qui iustum vectigal circumvenit, & solvere detrectat, tanquam violatorem salutis publicæ, cuius nervus plerumque ex vectigalibus est, graviter peccare, & quemadmodum recte addit, etiam in foro conscientiæ, ad Rom. C. 13. v. 7. quod latissime probat Covarr. in Cap. peccatum. p. 2. §. 5. Cum nunc defraudare grave sit delictum, merito delinquentibus pœna delicto proportionata à legibus constituta est, nimirum si vectigal non solvatur, pro rebus illi obnoxiiis, à personis immunitatem nullam habentibus, res in commissum cadunt, etsi paratus postea quis fuerit, vectigal solvere L. 16. §. 3. ff. de publ. & vect. & comm. Nec excusatur, si alia via sit usus, si illa fuerit usitata arg. L. 6. Cod. de vect. & comm. Struv. Exercit. 30. th. 49. Nam ex prætergressione loci, ubi quis merces profiteri & vectigal solvere debebat, præsumitur dolus. Dominium

C

ita

ita commissarum rerum ipso jure fisco, vel loco
 ejus publicano acquiritur. *l. 14. ff. de publ. &
 vect. & comm.* & datur commissi persecutio ad-
 versus quemlibet possessorem *l. 14. ff. de publ. &
 vect.* adeoque etiam adversus heredem si possi-
 deat *l. 8. pr. ff. de publ. & vect. & comm.* actione
 tam ad exhibendum, quam ad vindicandum
 Schilter. *ad tit. de publ. & vect. & comm. §. 55.*

Th. XIV.

Licet vero dominium propter fraudatio-
 nem vectigalis ipso jure transit, non tamen tran-
 sit possessio. Hinc recte infert Coler. *Proc. exe-
 cut. p. 1. c. 3. n. 84.* quod fiscus confestim non de-
 beat occupare, vel usurpare de facto, mercium
 vel bonorum in quibus contingit fraudatio, pos-
 sessionem, si forte reperiatu contradictor, qui
 neget confiscationi locum esse, nisi præcedat sen-
 tentia declaratoria, adeoque sit necessaria citatio
 adversarii, ad hoc ut privetur possessione: Eo re-
 fert *L. defensionis facultas 7. Cod. de jur. fisc.*
 Quam Cujacius ita illustrat: Bona quæ posses-
 sor sibi defendit, & ad fiscum minime pertinere
 contendit, fiscus possidere, distrahere, vel de-
 scri-

scribere non potest, antequam, re disceptata, lo-
cum esse fisco probatum & pronunciatum fue-
rit, pendente igitur lite, apud possessorem bona
remanent. *L. fin. Cod. de bon. vacant.* Licet e-
nim omnes causæ Fiscales sint summaria, in qui-
bus sola facti veritate inspecta procedendum,
tamen quoad ordinarias causas, quæ alteriorem
indaginem requirunt, & contradictione partis in
dubium revocantur, juris ordine opus est. *l. 3. C.
de conv. fisc. deb. Gail. lib. 1. Obs. 20. n. 7.*

Thef. XV.

Imo sententia declaratoria non prius fertur,
quam probatione præcedente, quæ fisco, vel lo-
co ejus publicanis, vectigal vel pœnam exigenti-
bus, incumbit, quorum hac in re illud privilegi-
um refertur, quod per conjecturas fraudatum
vectigal probare possunt. Sed solam publicani
assertionem, quod aliquis in legem vectigalis
peccaverit, non sufficere existimatur, si nempe ex
pœna compendium capiat *l. nullus. 10. ff. de test.*
Ceterum ubi inde nullum ad ipsum redit com-
modum, non omnis ipsi deroganda erit fides,
pro fisco. Quod tamen non ita accipiendum est,

C 2

quod

quod super illa asserione publicani fieri possit
condemnatio, sed saltem ut dicto ejus stetur ad
inquirendum, contra eum qui fraudis arguitur.
Vel ad juramentum denunciato imponendum,
si accusaturus sit bonæ famæ ac vitæ, sed ubi hæc
non suspectæ conditionis qualitas, condemnatio
facienda, non quidem ex sola delatione, sed si le-
gitimis argumentis convincatur. *Mev. ad jus
Lub. p. 2. tit. 3. art. 5.*

Thef. XVI.

Colerus de *proc. exec. supr. cit. Loc.* quod fis-
cus commissum possidere non possit, ante-
quam, re disceptata, locum esse fisco, probatum
& pronunciatum fuerit, & sic pendente lite apud
possessorem manere, Bartolum hoc in tantum
ampliare refert quidem ut indubitanter asserat,
etiam in casu commissi vectigalis, non esse lo-
cum sequestrationi. Sed de illo tamen valde in
proposito dubitat, cum tales aurigæ ut pluri-
mum sint forenses & extranei, quorum seque-
stratio facilius permittitur, ut dominus accipiat
injuriam suam ultionem. Quamvis itaque defrau-
dans vectigal possessionem rerum non ipso jure,
sed per declaratoriam amittat: Consuetudine
ta-

tamen universali observari, Stationarios, non expectata declaratoria sententia, defraudatores detinere & pignorare posse, asserit Cœppen *Decis.* 50. n. 11.

Thef. XVII.

Quatenus jure Civili reperiantur casus in quibus sententia condemnatoria declaratoria obtineat cognovimus, misso itaque illo jure, ad jus feudale me converto. Sane ob feloniam cujus arguitur, Vasallum posse feudo privari certum Propria tamen autoritate non potest expellere vasallum dominus, sed actionem coram paribus curiæ instituire necesse est 1. *feud.* 21. insuper ingratitude commissam quinque testibus, summæ atque integræ opinioni, probare tenetur 2. *feud.* 57. quin & audiendus excusationem allegans arg. 2. *feud.* 52. in fin. Hac ratione non aliter quam observato judicii ordine, & prævia cognitione causæ, sententia vel absolutoria, non probata feloniam, vel condemnatoria, si convictus sit vasallus, ferenda. Quæ posterior quibusdam privatoria videtur. Et hæc sententia fundamentum in 2. *feud.* §. *callidis* invenit. Ibi enim Imperator Fridericus, *callidis quorundam*

machinationibus obuiat, qui pretio accepto quasi sub colore investiturae, quam sibi licere dicant, feudum vendunt & in alios transferunt, ne tale figmentum vel aliud, in fraudem huius nostrae constitutionis excogitetur, modis omnibus prohibemus: pœna nostra autoritate imminente, & ut venditor & emtor qui tam illicitas alienationes reperti fuerint contraxisse feudum amittant: & ad dominum liberè revertatur. Cum nunc hoc casu tam venditori quam emtori feudum amittat, & ad dominum liberè revertatur, clarissimum est ipso jure feudum amitti, consequenter domino directo competere rei vindicationem, contra possessorem quemvis & cum propria autoritate quondam vasallum expellere non possit, fiat hoc prævia causæ cognitione per sententiam condemnatoriam declaratoriam necessarium est.

Thef. XVIII.

Ut ut vero in illo casu ubi vasallus sine consensu domini feudum alienat, dominium ipso jure ad dominum revertatur, expeditum sit. In aliis tamen casibus ubi vasallus ob commissam feloniam feudum amittit, idem fieri, & illum ipso jure feudum

feudo privari; controversum est. Ut plurimum contrariam amplectuntur sententiam, & per sententiam privatoriam vasallum feudo privari, volunt. Communem hanc sententiam diversimode probant. Alii inde hoc deducunt, quod scilicet causæ cognitio debeat intervenire, & sententia inequi. Verum a sententia, ad sententiam privatoriam, deductum argumentum, tanquam à genere incompleto, ad certam speciem deductum omnino vitiosum est. *Everb. Loc. leg. 6. de genere ad speciem.* Rectius itaque argumentantur illi, qui sequentibus utuntur rationibus, nimirum quod nullibi in jure feudali dicatur præterquam in casu 2. *feud. 55. §. callidis* ipso jure dominium utile ob feloniam ad dominum reverti. Deinde quod concedatur domino 1. *feud. 21.* condictio causa data, causa non secuta, qua actione personali quis petit sibi restitui rem, cujus dominium est penes alterum. Plures habet rationes *Struv. Synt. jur. feud. cap. 15. apher. 11.* ubi notat *Gudelinum de jur. feud. p. 5. c. 3. n. 9.* & alios per sententiam demum vasallum privari feudo statuentes, qui tribuunt domino actionem in rem, qua feudum
ob

ob feloniam amissum vindicet. Si enim hæc actio concedatur, necesse est admittatur quoque dominium utile quod vasallo erat concessum in re, ipso jure ad dominum rediisse alias vindicare haut posset. Utriusque sententiæ declaratoriæ & privatoriæ diversos ratione fructuum ostendunt effectus. Nimirum quod illa lata, feudum cum fructibus a tempore delicti commissi perceptis, sive extantibus sive consumptis restituendum sit, quod sit, quod se habeat instar malæ fidei possessoris. Si vero privatoria feratur sententia, tum quæ ante inchoatam cœptamq; litem percepta & gesta minime repetantur *arg. L. 7. Cod. de rev. donat.* verum in utraque sententia idem de fructibus restituendis censendum, & a revocatione donationis ob ingritudinem, ad revocationem feudi, hoc in casu non procedere argumentum statuit *Struv. cit. cap. 15. aphor. II.* rationem differentię assignans, quod feudum expresse sub conditione præstandæ fidei & reverentiæ sit concessum: in donatione vero nihil a donum accipiente, promittatur; adeoque hac in re feudum magis accedat illis negotiis quibus aliquid datur, ut vicissim quid præstetur.

Thes.

Quomodo actio in casu amissionis feudi instituenda & libellus formandus, tradit plenius Rolenth. *de feud. cap. 10. & monet n. 4.* quod conclusio sic formari debeat, peto pronunciari, *reum feudum ex causa antea deducta amisisse vel eo cecidisse, idque cum dominio directo consolidatum, & domino actori una cum fructibus restituendum esse.* Insuper in conclusione principaliter observandum, quod casu quo feudum ipso jure apertum est, possit peti declarari ipso jure cecidisse. Casu vero quo non ipso jure cecidit petendum, *feudum ex causa per reum commissum esse, & eum illa, sententia vestra definitiva privari, & ad restituendum cum fructibus omnibusque accessoriis & pertinentibus compelli.* Sed in casibus dubiis, an Vasallus ipso jure ceciderit, an vero per sententiam privandus sit, cautelam suppeditat & petitionem alternative formandam monet, videlicet, peto pronunciari, *reum ob causas allegatas ipso jure cecidisse vel privatum esse.* Et hanc alternativam praxis aut consuetudo hoc casu sustinet, quod hæc incertitudo petitionis, ex jure dubio orta reo nihil omnino ob-

D sit.

fit. Sed & ineptam petitionem, quo actor con-
 cludit, reum ipso iure privatum esse, ubi sententia
 privandus est, nihil actori obesse arbitratur, mo-
 do clausulam salutarem petitioni subijciat *ius &*
justitiam his omnibus administrari: cum implora-
tione officii &c. & formulam clausulæ hujus ple-
 niorem subiicit. Et harum clausularum actorem
 nunquam oblivisci debere, hortatur,

Thef. XX.

Quatenus in causis tam civilibus quam feuda-
 libus sententiæ declaratorix usus sit considerato.
 Utrum quoq; in ecclesiasticis locum inveniatur, re-
 liquum est, perpendam. Causas vero matrimo-
 niales diverso respectu esse Civiles & Ecclesiasti-
 cas adeoque mixtas tradit Carpz. *Jurisprud.*
Consist. p. 3. Def. 22. Quæ nunc in matrimonio
 metu iusto, qui in constantem virum vel scemi-
 nam cadit contracto, ferenda sit sententia, inve-
 stigare constitui. Certe matrimonium eiusmodi
 saltem iure naturali subsistere, licet defendere
 conentur, & quidem inde, cum iusiurandum di-
 vino Numini præstitum ex metu non sit irritum
 iure naturali, cur non valeat matrimonium sic
 contractum non ratio sit nulla. Præprimis quod
 iure

iure naturali voluntarium mixtum æque obligat,
ac quod liberrimum, quod in utroque sit actio
spontanea, quia spontaneum est, quod petimus
sive eligimus & vel simpliciter vel ob certum fi-
nem, sive ex metu maioris mali. Eadem invita est
saltem per accidens & in sensu diviso Arist. 3. *Eth.*
i. licet ideoq; sic officere possit amoris metus, ma-
trimonium tamen propterea involuntarium dici
non potest. Ita Hahn. cum ab eo citatis *ad VVe-*
senbec. tit. ff. de rit. nupt. ii. 8. vers. eadem est ra-
tio violentiæ.

Thef. XXI.

Sed aliis displicet hæc opinio, & matrimonium
metu contractum iure naturali infirmum esse ar-
bitrantur, quod matrimonium ex se sui que na-
tura, maius & perfectius voluntarium exposcit,
quam contractus civiles, tum ob nexus perpe-
tuitatem, tum ob mutui amoris summum ardo-
rem, qui cum metu stare nequit. Non enim con-
veniunt diligere & cogi, cum amor, in bonum
feratur & incundum, metus vero sit affectus ani-
mi ex mali expectatione, qua timens quæ terri-
bilia sunt, hoc est maia. Quam opinionem se-
quitur ius civile, quo itidem matrimonium iusto

D 2

metu

metu contractum nullum est *L. 22. ff. de rit. nupt.* Neque obest quod metus non faciat involuntarium sed consensum habeat quoad electionem. Inde tamen nondum sequitur, quod matrimonium ipso jure subsistat, licet metu initum, quia matrimonium est viri & mulieris conjunctio individuum vitæ consuetudinem continens, adeoque si semel subsisteret non posset dissolvi, quod esset iniquissimum, alii vero actus dissolvi possunt, licet stricto jure subsistant. Inde patet quod neque ab existentia jurisjurandi, ad matrimonium valet consequentia.

Thef. XXII.

Jure quoque canonico matrimonium metu justo contractum, esse ipso jure nullum probatur *Cap. 14. X. de spons. & cap. significat 2. X. de eo qui duc. in Matrim.* cum libera debeant esse matrimonia, quia coactiones difficiles solent exitus habere *cap. 17. X. de spons.* Neque juvat si forte juramentum matrimonio metu contracto accesserit, non enim ideo magis hujusmodi matrimonium convalscescit *cap. 2. de eo qui dux in uxor.* Cum juramentum quod similiter metu extortum est, non suppleat defectum consensus *L. fin. Cod. de non num. pec.* sed fortitur naturam siue conditionem ejus actus, cui confirmandi causa adjicitur, at vero matrimonium metu initum ipso jure nullum est, ergo & juramentum, quam tamen rationem restringunt ubi actus ex parte consensus deficit. Caterum si juris tantummodo autoritate actus irritus, juramentum accedens jure canonico eam vim habet, ut omnino actui stari debeat, propter adiectionem juramenti, veluti

ti in alienatione dotis *cap. cum contingat 28. X. de jurei.*
 Item in renunciatione paternæ hæreditatis *c. 2. de pact. in*
 6. Ob regulam juris Canonici, toties juramentum fer-
 vandum esse, quoties non redundat in alterius præjudici-
 um, nec vergat in æternæ salutis dispendium.

Thef. XXIII.

Utrumque nimirum matrimonium metu contractum
 ipso jure nullum esse, licet juramentum accesserit *Carpz.*
Jurispr. Consist. p. 2. def. 27. & p. 3. def. 55. affirmat. Et hæc
 adeo obtinere ut qui sua culpa in metum incidit, v. g. *Si*
Scholares vel quispiam alius repertus de nocte in domo vel
lecto alicujus puella vel mulieris, metu vel minis per patrem
vel alios consanguineos coactus sit cum aliqua matrimoni-
um contrahere, tale matrimonium ipso jure non valere, nisi
ex post facto accesserit spontanea cohabitatio, vel copula vo-
luntaria. Cap. consultationi X. de spons. Et hoc quidem
 propter defectum liberi consensus.

Thef. XXIV.

Quomodo vero procedendum ut in hoc casu sententia
 declaratoria feratur pariter ex *Carpz.* peti potest, qui *p. 3.*
Def. 7. nimirum summarie absque litium ambagibus sine
 strepitu ac forma solenni de simplici & plano. Interim ta-
 men non omittenda sunt in causis matrimonialibus, sub-
 stantialia processus, jure naturali inducta, veluti citatio,
 facti narratio, Rei responsio, probationes & interrogato-
 ria *Carpz. d. p. 3. def. 2.* Sententiam vero in hoc casu esse
 non aliam quam declaratoriam, recte tradit *Lauterb. ad*
tit. ff. de rit. nupt. in fin. Et recte quidem, cum judex non
 rescindat per sententiam matrimonium metu initum, sed

D 3

dun-

duntaxat hoc esse nullum ipso jure declarat. Qua de causa
 errat Cardinalis, quem refert Panorm. ad c. 14. X. de sponsa
 per actionem quod metus causa rescindi hoc matrimoni-
 um. Cum nunc ex his breviter expositis quemadmodum
 arbitror, natura sententiae declaratoriae pateat, insuper a
 quo, & in qua causa, quomodo & propter quid
 feratur: Plura aliis curis sunt.

S. D. G.

Gratulor ex animo queis nunc ornandus, honores
 Utpote virtutis praemia digna Tux.
 Gratulor & Magno de aequali prole Parenti,
 Det Tibi, det Patri nil nisi magna Deus.

Ita Praenobilissimo atque Consultissimo Dno, Docto-
 rando de summis in jure honoribus sincero ex pe-
 ctore gratulatur.

CAROLUS HENRICUS HOERMAN.

J. U. Doctorandus,

Opponens.

Applaudente bono quovis, applaudo, precorque,
 Aeque bene ut cedant caetera cepta tua.

Ita Praenobilissimo atque Consultissimo Domi-
 doctorando festinanti calamo applaudit.

IO. GOTHOFREDUS RUGEROEH;

L. L. C.

Was sucht ein edler Geist wohl mehr in dieser Welt?
 Als nur durch Wiß und Geiß/sich hoch empore zu bringen
 Und in die schöne Burg der Ehren einzudringen/
 Dieweil auf Müß und Schweiß/Lust und Belohnung fällt/
 Denn

Denn wer nicht Arbeit schent/ kan billig auch gedencken/
 Die Tugend werde Ihm der Ehren-Lorbeer schencken.
 Und dieses ist es auch / Hochwerthgeschätzter Freund/
 Was dein erhabener Sinn/sich hat zum Zweck erkohren/
 So bald du dich mit Ruhm zu Themis Fahn geschwohren/
 So warest du zugleich ohnfehlbar auch gemeint/
 Nach wohlvollbrachter Zeit das Kleinod zu erlangen/
 Was manch geliebter Sohn von Ihrer Hand empfangen.
 Das Zeugnis legest du heut rühmtlich an den Tag/
 Und willst vor jedermann die schönen Proben zeigen/
 Drum kan ich wehrter Freund unmöglich stille schweigen/
 Und liefre was allhier der schlechte Kiehl vermag/
 Doch weil ich viel zu schwach dein Lob recht zu beschreiben/
 So soll es kürzlich nur bey diesem Wunsche bleiben/
 Leb jederzeit beglückt / und führ das Recht mit Lust/
 Dein Wohlsenn müsse stets in vollen Wachsthum grünen/
 Steig bald in kurzer Zeit/ auf Themis Ehren-Bühnen/
 Wornach du längst gestrebt / dir sey kein Fall bewusst/
 Doch wenn der Doctor-Huth/ wird deine Scheitel ziehren/
 Wolst du auch deinen Freund in dem Gedächtniß führen.

Dieses wenige wolte zu Bezeugung schuldiges
 Ergebenheit dem hochzuwehrenden Hrn. Do-
 ctorand beyfügen / und sich bestens recom-
 mandiren/ desselben gehorsamster Diener

Zacharias Schubart H. L. C.

De Tugend borgt kein Lob/ und Dein gelehrter Geist/
 Der sich Hochwehrter Freund durch solche Proben
 weist

Wie Du mit seltenen Ruhm nunmehr abgelegt/
 Seiat das Dein kluger Kopf die wahre Weisheit heget/
 Drum führet Themis Dich in ihren Tempel ein
 Und dein beglückter Stand kan uns ein Beyspiel seyn/
 Das

Daß wer im Labyrinth der Rechte nicht will fehlen
 Der muß geschickten Fleiß zur Ariadne wehlen/
 Und wer/ wie Du gethan/ Astræens Buch studieret/
 Dem wird zum Doctor-Huth mit Rechte gratuliret.

Mit diesen geringen Zeilen suchte bey dem Zrn.
 Doctoranden als seinem hochgeschätzten
 Gönner sein devoir abzulegen dessen ergebenster
 Diener

Johann Gotthard Vohr. L. L. S.

HochEdler/ Dir giebt heut die längst verdienten Ehren/
 Nach unverbrognen Fleiß / des Glücks gur'ge Hand ;
 Wer wolte Deinen Ruhm nicht helfen mit vermehren?
 Dennoch vergrößern kan/ der hohe Doctor-Stand !

Mit diesen wenigen wolte seine Schulbigkeit ge-
 horfamst bezeigen/ des Hrn. Doctoranden ganz
 verbundenster

Johann Fried. Petersen J. U. C. Opponent

Sonner.

Hangenehmer Freund der göttlichen Astræen/
 Dich heist den rechten Pfad/ der nach den Krohnen führt/
 Den selbst des Himmels Hand/ mit frischen Palmen ziert/
 Aus angebohrnen Triebl/ der wahren Tugend gehen/
 Die heist die gute Saatl/ zu vielen Nutzen säen/
 Und der verstorb'nen Ruhm/ der fast zum Sternen rührt/
 Dabon die kluge Welt schon viel Gedelßen spürt/
 Durch eigene Trefflichkeit noch immermehr erhöh'n.
 Fahr immer weiter fort/ in deinen guten Lauff.
 Der Himmel machet dir ein Thor zum Seegen auf.
 Du solst Gerechtigkeit und gute Säge schüßen/
 Darauf die Barbarey umsonst den Geißer streicht.
 Die Allmacht/ welche dir das Purpur-Stücke reich/
 Wird dein gewünschtes Heyl/ mit Wohlthat' unterfügen.

Mit diesem wohlgemeinten Zeilen hat dem Herrn Do-
 ctorando als seinem hochgeehrtesten Herren Lands-
 man und werthgeschätzten Gönner/ seine Ergeben-
 heit bezeigen wollen/ dessen ergebenster Diener

Emanuel Lebrecht Heinrich L. L. Stud.

X 2403645






Pa. 20. num. 36.

1718, 19

AA



INAUGURALIS JURIDICA
DE

TENTIA ARATORIA

QVAM
PIRANTE CLEMENTIA
E MAGNIFICENTISSIMO
O PRINCIPE AC DOMINO

ELMO HENRICO

, CLIVÆ, MONTIUM, ANGARIÆ,
PHALIÆ ET RELIQUA
CRETO ET AUCTORITATE

TISSIMA SALANA JCTORUM ORDINIS
PRÆSIDE

BERNHARDO FRIESE,

DITARIO in Pöfen/
AXO-ISNAC, CONSILIARIO AULICO ET
TECESSORE, JUD. AUL. FACULTATIS
F SCABINATVS ASSESSORE
MERITISSIMO

TATEM, UTI PAR EST, VENERANDO
LICENTIA

QUE JURE HONORIBUS ET PRIVILE-
IORE MAJORVM CAPESSENDIS

VII ANNO M DCC XVIII.

ANTE ET POMERIDIANIS
RUM DISQUISITIONI SUBMITTIT
OTTLIEB SPLITHUSIUS,
CATUS COTHENIENSIS.

J E N Æ
WERTHERIANIS.

